CIMELIA
Qu 5436
kat.komp.

5436

CIMELIA

Cimelia VI. b. 497

REFVTATIO
ORATIONVM,
IOHANNIS VOGELII,
ET
JOACHIMI PEUSCHELII,
quibus Photinismum se hoc anno Altorfii retractasse gloriantur.

Scripta
a
VALENTINO SMALCIO
Cœtus Racoviensis Ministro.

RACOVIÆ,
Typis Sebastiani Sternacti,
Anno 1617.

PRAEFATIUNCULA.

INTER alios ecclesiarum istarum, quæ a Papatu secessionem fecerunt, nævos, hic non postremus est, quòd, qui unam Ecclesiam constituere deberent, in tot fere sectas miserè discissi sint, quot egregios præ aliis viros illis Deus concesserat. Nam (ut antiquiores omittam) præter Lutherum, sunt qui Philippum Melanchtonem sequantur, sunt qui Flaccium Illyricum, sunt qui Zvinglium, Calvinum, Schvenckfeldium, Mennonem, & alios pro fidei ducibus agnoscant, & alios præ aliis strenuè contemnant. Quod ipsorum factum, ut sacris literis repugnat, sic vehementer Pontificios in ipsorum ignorantia confirmare potest; ad promovendum autem divinam gloriam remora est certè non postrema. Sed multò magis deplorandus is est inter alios nævus, quòd ii, qui alios amant & colunt, & amicitiam ipsorum fraternitatemq; omni ratione captant, non tantùm spe sua frustrentur, verùm etiam quovis inimicitiarum, adeoq; persecutionum genere ab illis ipsis repudientur & premantur. Vt enim naturâ ab illis abhorremus, qui a nobis diversum sentiunt, si nos ipsimet parum curent: sic ipsa non tantùm religio, sed natura & ratio ad eos nos redamandos cogere videtur, qui, qualescumq; tandem sint, amicitiam nobis offerunt. A quovis enim homine amari, beneficium est certè non minimum. Quanto ergo majus beneficium censendum est, si ab illis amemur, qui, nulla alia de caussa amare se nos, præ se ferunt, quàm quòd persuasum habeant, id omnino ita fieri debere, idq; ad gloriam Dei, & nostram communem salutem necessariò pertinere? Qualem inhumanitatem experti sunt hoc nostro seculo non semel, nec uno in loco, & etiamnum experiuntur Evangelici (qui vulgo Calviniani appellantur) a Lutheranis quos vocant. Nam etiamsi nihil non faciant Calviniani, quò unio fraterna inter eos & Lutheranos succedat: hactenus tamen ita omni fructu carent isti eorum conatus, ut nonnulli Lutheranorum ad Papatum recedere, quàm ad Calvinianorum Ecclesiam accedere malint. Experimur & nos, qui vulgò Arriani vel Photiniani (priori titulo

falsò

Cim. Qu. 5436

BIBLIOTHECA VNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS

falsò, posteriori captiosè) audimus, parem vel etiam majorem inhumanitatem, tum a Lutheranis, tum a Calvinanis. Nam nec librum sibi a nobis dedicari utriq; ferre possunt, ut exempla Argentinensis Senatus, (si ipsorum consensu, id quod ante annum prodiit, editum est) & Illustrißimi Principis Landgravii Hassiæ docent, quod tamen Pontificii reges & principes, in viris Evangelicis & nostris, sæpißimè non iniquo tulerunt animo: ubi verò potestas ipsis Evangelicis data fuit, aliquem ex nostris capiendi & durißimè tractandi, ibi nihil reliquum fecerunt pleriq;. Nam & Palatinus regni Ungariæ, non ita pridem Ministrum nostri cœtus, qui in fines Ungariæ visitandorum suorum gentilium & consanguineorum caußâ venerat, & , ut fieri solet & debet, cum aliquibus de religione privatim collocutus fuerat, librosq́, certè non multos, illis rogatu illorum dederat, per milites capi, carcere inhonesto detineri, compedibus ad truncum more Ungarico alligari, libros comburi jußit. combusturus fortaße, vel alia ratione vitâ privaturus, aut in æterno carcere detenturus, ipsum Ministrum, nisi Generosæ nobilitatis polonicæ diligentia & auctoritas vix aliquid clementius impetraßet, ut scilicet spoliatus omnibus rebus suis, a patria relegaretur. Senatus verò Norimbergensis, cujus prudentia hactenus alias Respublicas superare visa est, eò prolapsus est nuper etiam amari & præposteri zeli, ut in paucos quosdam studiosos, quibus Deus id, quod nostræ Ecclesiæ hactenus profitentur, alto suo consilio revelârat, tam graviter animadverterit, ut nova papalis tyrannis eos invasiße meritò dici poßit. Homines enim liberos catenis ligatos, ex Academiis satis remotis Norimbergam deduci curavit, & ibi in carceribus squalidißimis per non paucos menses conclusos, minis etiam carnificinæ propositis, tandem eò adegit, ut veritatem abnegarent, & publicè etiam retractarent. O Deus, ubinám gentium sumus? Hæcciñe fieri decet inter eos, qui verum Christi Evangelium præ aliis sibi revelatum gloriantur? En, in medio illorum, qui Antichristum deseruerunt, Antichristus regnat? Quis tandem hujus tyrannidis finis futurus est? Num fortaße credunt, hac ratione divinam veritatem suppreßum iri? At contrarium

trariũ eos omnia, quæ hoc seculo elapso in Europæ potissima parte facta sunt, adeoq; illorum ipsorum in religione profect⁹, docere poterant. veritas, ut palma premi potest, sed nullo oneri tamen cedit. Et videtur quidem ipse Deus calculo suo comprobare, quàm vehementer illi istiusmodi omnia displiceant. Nam & Palatinus ille Vngariæ, malam apud plerosq; gratiam iniisse dicitur; & ipsemet, qui minas & mortem spirabat, paulò post diem suum obiit; pro nobis verò adversus Noribergenses ipsemet Deus eum excitasse dici potest, qui alioquin non minùs nos detestatur, atq; ipsimet Noribergenses, qui, rei indignitate motus, talem libellum conscripsit, qui satis superq; docet, istiusmodi factum, viris judicio saltem sobrio præditis, minimè probari. Sed & ipse cœtus noster non intermittet, pluribus suo tempore docere, quàm graviter hîc ab iis, quos nos pro fratribus habemus, peccetur, adeò, ut id solùm, si nihil aliud esset, sufficere posit ad eos vitâ æternâ privandos, nisi seriò resipiscant, & ista malè a se facta deplorent. Ego verò, omissis istis omnibus, brevissimè nunc docebo, quàm vana sit consolatio & spes, quam ex ista duorum studiosorum Johannis Vogelii, & Ioachimi Peuschelii revocatione (si qui sint, qui conceperunt) conceperint.

REFUTATIO EORUM,

Quæ in oratione Iohannis Vogelii, de vera & æterna Iesu Christi divinitate, habentur.

PRIMVM, non probatur in orationis tuæ titulo verborum ambiguitas, Vogeli: *Oratio de vera & æterna Iesu Christi divinitate.* Tu enim non potes nescire, veram dari & æternam Iesu Christi divinitatem, quæ tamen non sit ab æterno: & dum istam ambiguitatem non detegis, tacitè apud incautos nos traducis, quasi de vera & ęterna Iesu Christi divinitate dubitemus. quam tamen proram & puppim nostræ religionis agnoscimus. Divinitas enim potissimùm in potestate cõsistit, & vox Deus potissimùm, immo propriè ob potestatem, iis, de quibus prædicatur, tribuitur. Cum verò ea sit Christi divina potestas, quæ ad salutem nostram procurandam & perficiendam perfectissimè sufficiat, eaq; in æternum duratura sit (nemo enim Christo Servatori successurus in gubernatione populi divini est) verè vera & æterna est divinitas, adeoq; Christus verus & æternus Deus appellari jurè potest.

Deinde, priusquam ad ipsam probationem ejus, quod probandum sumsisti, accedis, satisdationis loco palàm omnibus vis facere, *quòd omnem Photinianam blasphemiam detesteris, omnemque Socinianam impietatem averseris.* Itané satis digni tibi visi sumus, nos & Socinus, in quos ita juvenili æstu involares? Cur nobis nomen affingis, quo nos appellari nolimus, quia id non deceat? Vtut enim idem nobiscum de Christi persona senserit Photinus, tamen nos ea in re non illum sequimur, sed unà cum illo ipsas sacras litteras, quæ nisi id disertissimè testarentur, quod sensit Photinus, nulla apud nos esset Photini auctoritas. Et puerile sanè est, aliquem ab eo appellare, cum quo in una aliqua re consentit; cum fieri possit, ut in alia re, non minùs gravi, ab eo dissentiat, cum alio verò consentiat. & sic ab alio esset denominandus etiam, cum quo ea in re idem sentiret. Quemadmodum planè incertum est, Photinum, idem quod nos, de Christi munere, vel modo, quo noster servator sit, sensisse; & tamen Peuschelius nos Photinianos ita appellat, ac si constaret, Photinum eandem de Christi munere nobiscum sententiam sectatum esse? Quæ porrò blasphemia in eo esse potest vel impietas, si quis confiteatur, Iesum esse suum Servatorem, Dominum, & Deum, & omnium hæredem, & judicem,

 cem,

cem, quod Photinum confessum esse credibile est? De Socino verò qui id negare vellet, eum insigniter impudentē esse oporteret. Quidvis aliud, quàm blasphemia & impietas objiciendum est, si id, quod dixi, de Christo publica confessione prædicetur. etiamsi tandem falsum esset, quod quis de Christo confitetur, sed nedum ut blasphemias & impietates (quæ certè convitia sunt gravia, præsertim in juvene) in confessione Photini, (quo ad filium Dei) & Socini in omnibus aliis fidei christianæ articulis hactenus quis ostenderit, nec errorem minimum acutissimi etiam ostendere potuerunt. Iam si etiam considerasses, Vogeli, quid evangelii caussâ Socinus reliquerit, & quomodo exul ab illustri patria & familia, in Polonia vitam suam per annos ferè triginta traduxerit, ab istis protervis vocibus certò tibi temperasses. Talia enim qui hodie Christi caussa facere vel pati velint, pauci admodum reperiūtur: immo qui levi de caussa id, quod semel publicè & sponte sua pro veritate salutari professi erant, revocant, & blasphemias deinde atq; impietates id appellant, pii haberi volunt. Sed ne erres Vogeli, Deus non irridetur. Dies uniuscujusq; opus manifestum faciet. Sed jam hoc Deo & pii lectoris judicio relicto, pergamus ad alia.

Instituis ergo probationem ejus, quòd Christus sit verus & æternus Deus, productis primùm illis verbis Iohannis: *Et sermo ille erat Deus*. Vbi statim videre potes, quàm non respondeant tuæ thesi verba Apostoli. Tu enim per Deum verum & æternum, Deum illum unum, & summum intelligis, nisi monstri aliquid alis: Iohannes verò tantùm simpliciter dicit, Sermonem esse Deum. non omnem verò qui est Deus, esse Deum illum unum & summum, res ipsa loquitur, & logica, cujus ductum te sequi fateris, docere te poterat. Et saltem in hoc caussam tuam claudicare agnoscere poteras, quòd ne unum, ex locum tam vasto sacrarum litterarum codice, adducere potueris, in quo Christus Deus ille unus vel summus appelletur; sed consecutionibus ad id evincendum uti cogaris. Vnde constat, istam opinionem, etiamsi vera tandem esset (cujus contrarium mox ostendemus) ad salutē tamen minimè esse necessariam. Omnia enim quę ad salutem sunt necessaria, ῥητῶς in sanctis litteris extare, jam omnibus constare potest.

Morem tu quidem Spiritus sancti notandum mones, *quo appellationem Dei aliis etiam, qui verus ille Deus non sint, puta angelis & judicibus tribuat ille quidem: at nusquam tamen, sive de uno, sive de pluri-*

pluribus eorum disertè, citra omnem limitationem, seu aliam quamcumq; additionem aſserat, quòd Deus aut dii ſint, ſed hoc honoris ſoli illi vero & uni Deo exhibeat. Sed & hîc neminem te habere certum eſt, ex viris & auctoribus divinis, qui tecum faciat. Immo contrariũ diſertè teſtantur ſacræ litteræ. Nonné enim diſertè citra omnem limitationem, ſeu aliam quamcumq; additionem, judices Dii appellantur, teſte Davide, & ipſo Chriſto verba Davidis absq; ulla additione allegante. nam quod tu pro limitatione addis, *Sed moriemini ut homines*, id non niſi ineptè a te factum eſt. Hæc enim verba non ad limitationem divinitatis, ſed ad declarationem naturæ illorum, quos deos Deus appellarat, dicta eſſe nemo non videt. Iam ſi hæc limitatio divinitatis cenſenda eſſet, Chriſtus etiam non fuit, vel te ipſo judice, verus & unus ille Deus. nam & ille cum in terris degeret, & Deus eſſet reipſa, mortalis fuit, & deinde mortuus. Præter hanc ineptiam, neſcio an non dolus etiam in oratione tua lateat. De angelis enim, quos Deos appellari ipſemet aſſeris, non docuiſti eos Deos non appellari ſine limitatione, vel aliqua alia additione. Simpliciter enim dicitur, Deum hominem paullulùm minuiſſe præ diis, ut habetur in Hebræo. Psalm. 8. 6. Iam, ſi verum ſit quod tu mones, angeli eſſent ille unus Deus. unde conſtare puto, quanti ſit faciendum quod tu inprimis notandum eſſe monuiſti, &, pro more ſpiritus ſancti, temere venditaſti.

Apponam autem hîc, antequam tua ampliùs examinem, aliqua eorum, quæ vocis *Deus* in verbis Iohannis limitatio ſunt, & impediunt, quo minùs Chriſtus Deus ille unus ſit, etiamſi ſimpliciter Deus a Iohanne appelletur. Vnum eſt, quòd ſermo ille, qui Deus dicitur, apud illum Deum, ſcilicet unum, fuiſſe dicatur. Deus autem unus apud Deum unum eſſe dici non poteſt, ſine ingenti abſurditate & contradictione. nemo enim apud ſeipſum eſſe poteſt. Alterum eſt, quòd prius de eo, qui Deus appellatur, dictum ſit, eum in principio fuiſſe, & apud Deum fuiſſe, & tunc demum additur, quòd Deus fuerit. Iam ſi Chriſtus ab æterno fuiſſet, & apud Deum ab æterno fuiſſet, non opus fuiſſet addi, eum Deum fuiſſe. nemo enim ab æterno eſſe, & eo modo quem vos confinxiſtis, apud Deum eſſe poſſet, niſi Deus. Reliqua mitto. brevitate enim tecum certare propoſitum mihi eſt.

Iam videamus quæ nam tu documenta afferas, quæ cogant in loco Ioannis per θεὸν, unum illum Deum intelligere. Et primum quidẽ quàm infirmũ ſit expende, dum ais: *haberi hæc verba in loco proprio*, & locum proprium explicas, *in ipſiſſima doctrina de præſtantia & excellentia*

lentia Christi sede. Esto enim ita rem se habere, ut ais, quænam rogo ratio est consequentiæ? Hæccine quam addis, *quòd in ipsissima doctrinæ de præstantia Christi sede, ut in omnibus scripturæ locis similibus, a verborum sensu communi & proprio, absque caussa gravissima, eaque ex sola scriptura petita, recedendum non esse moneant theologi cordatiores omnes?* At quid ista ratio aliud est, præter nudam rei falsissimæ assertionem? Quinám enim isti sunt theologi cordatiores, iiq; omnes, qui ita moneant? Certè præter eos, qui nobis adversantur, nullos nominabis. At quid est aliud opponere adversario adversarii auctoritatem, quàm caussam suam prodere? Theologorum auctoritas tunc demum alicujus fortasse momēti censeri posset, si in aliqua re omnes, nemine excepto, consentirent. At si theologi dissentiant in aliqua re, nulla quorumdam autoritas censenda est. Certè si ego theologum nostrorum & nobis faventium autoritatem hac ratione vobis objectarem, rideres me procul dubio, nec immeritò. Et tamen hactenus nec ipsemet video, nec quisquam probare potest, quanâm in re, quæ in divinis aliquid valeat, nostri theologi a vestris superentur. Præterea quàm vana sit ista theologorum cordatiorum monitio, vel hinc patet, quòd Iohannem in hoc ipso loco, dum Christum sermonem, nempe Dei, appellat, a proprio sensu non recedere, hactenus omnes adversarii docere non potuerint: ipsimet verò, dum vocem sermonis explicant, a communi sensu ita recedant, ut nullus eo quem sequuntur, magis philosophicus & metaphysicus adeoq; impropius vel cogitari possit, adeoq; ex multis millibus vix uni non tantùm idiotarum, sed etiam doctorum sit bene cognitus. Cum enim admodum obvium sit, quod etiam multos ex patribus antiquioribus sensisse ipsimet testatur adversarii nostri, Christum sermonem, nempe Dei, ideo appellari, quòd per eum Dei voluntas ita nobis patefacta sit, ut per sermonem hominis voluntas illius patefit, vel quòd Christus nomen a re, quam revelavit, sortitus sit, quo sensu alibi creberrimè jam lux & janua, jam vita & veritas appellatur, talem nobis in Deo sermonem, vel potiùs verbum (sermo enim hîc non quadraret. cum Sermonem talem in Deo nullum agnoscant) quod intus a Deo ab æterno generatum sit, & adhuc generetur perpetuò, & in æternum generandum sit, & quod tandem in personam a Deo distinctam desinat, idem tamen cum Deo essentia sit, confinxerunt, quo vix aliquid ineptiùs & monstrosius dici potest. De quo non pauca jam extant cœtus nostri scripta. Quid

porrò

porrò illud est, *ut in omnibus scripturæ locis similibus*. Quinám sunt isti omnes alii locis similes, in quo sit sedes aliqua doctrinæ de excellentia Christi? nonné hîc quidvis liberè dicitur, quod probatione egebat? & quod procul omni dubio falsissimum est? nemo enim nescit, in plerisq; scripturæ locis, ubi sedes est (ut sic loquar cum Vogelio) doctrinæ de excellentia alicujus rei, a proprio sensu recedi? Quod quia nunc tantùm obiter quasi innuitur a Vogelio, nolo pluribus exagitare. Præterea nonné temetipsum deseris, & pro nobis sententiam dicis, Vogeli, dum ais, *abq; caussa gravissima, eaq; ex sola scriptura petita, a sensu communi & proprio recedendum non esse.* Nos enim numquam ulla in re quicquam statuimus absq; caussa gravissima, eaq; ex scriptura (sobrio sensu) petita. & hîc idem nos facere paullo antè demonstratum est. Quamquam nimis etiam liberè id dictum esse putamus, caussam non nisi ex sacris litteris petendam esse, quam quis affert, cur a proprio & communi (apud alios scilicet) sensu recedat. Satis enim est rationem esse evidentem per se, etiamsi tandem in sacris litteris non reperiatur, vel aliunde etiam pendeat. de qua iterum nobis in responsione ad aphorismos Peuschelii dicendum erit. Deniq; probandum fuit, nos, dum vocem Deus de Christo explicamus, a sensu proprio recedere. Quicumq; enim vocem Dei alicui ob divinam potestatem tribui concedit & contendit, is propriè eam illi tribuit, licet non æquè excellenti modo ei tribuatur, quo aliis tribuitur; is etiam a communi sensu non recedit, si morem sacrarum litterarum attendas: si verò communem sensum intelligas eum, quē alii sequuntur, hunc ob id ipsum sectari non tenetur, quia illum sensum communem erroneum esse statuit. At addis in parenthesi, *hunc sensum nominis* Θεοῦ *esse, ut verum illum Deum notet, omnia sacrarum litterarum loca, quæ unum tantùm Deum quoquomodo ostendunt, testari.* Vbi ipsemet vel quid dicas parum intelligere, vel quid sentias non expressisse videris, vel certè prorsus falsum dicis. Quid enim est dicere, nominis Dei hunc sensum esse, ut verum illum Deum notet, omnia loca, quæ unum tantùm Deum quoquo modo ostendunt, testari, nisi verba fundere otiosa, & ad nugationem quandam accedentia? Falsum autem esse, nominis Dei hunc esse proprium sensum, ut Deum illum verum significet, suprà ipsemet confessus es, & nos rationibus etiam comprobavimus.

Secundum documentum facis, *quòd Sermo ille in principio fuisse dicatur.* Sed primùm non video, quomodo ex eo, quòd quis in princi-

pio creationis rerum omnium fuerit, consequatur, cum illum unum Deum esse. Credebat enim Arius, Christum ante secula omnia fuisse, & omnia per eum creata esse, & tamen idem contendebat, tempus fuisse, quando non esset Christus, adeoq; illum Deum unum esse negabat. Deus enim unus semper fuit. Deinde nec illud video, quomodo probes, Christũ in principio creationis rerum omnium fuisse. Addis, *ut mox patebit*. sed mox etiã patebit, quomodo erres. Interim nos sugillas, qui per Principiũ, evangelii principium intelligendũ censemus. Sed valde infirmè Ais enim, *quid tribueretur Christo, quod ejus testi Iohanni, cum quo is ibidem confertur, tribui non poßet*. At enim, si concedatur, a Iohanne Baptista initiũ factum esse evangelii (ut ex initio Marci apparet) non a Christo, cujus tamen est evangeliũ, & a quo illud denominatur, certè non leve aliquid est, scire, Christum, etiamsi tunc nõdum apparuerit, cum Iohannes Baptista apparuit, jam tamen extitisse, & extitisse talem, qualem paullo pòst se exhibiturus erat. Hac enim ratione docetur, non debere ob prioritatem temporis, prioritatem etiam præstantiæ Iohanni Baptistæ tribui: sed quia Christus, qui Sermo futurus erat, jam erat re ipsa, eum pro Servatore mũdi, Iohannem verò pro ipsius præcursore, agnoscendũ fuisse. Quod quidem omnibus seculis suam Christo conservat eminentiam præ Iohanne Baptista, maximè verò tunc, cum Iohannis Baptistæ auctoritas, recens adhuc in animis hominum, qui ipsum pro Messia quodammodo habuerant, vigebat, necessarium fuisse, ut hìc innueretur, & deinceps clarissimis etiam verbis explicaretur, nemo prudens non intelligit. Vnde constat, in his verbis non tam Christi excellentiam contineri, quàm tacitè ad id, quod eam apud imperitos minuere poterat, respondere a Iohanne, alibi a nostris fusè comprobatum est.

Sed tertium tuum documentum expendamus. *Explicari ais, ubi Sermo in principio ille fuerit, nempe apud Deum*. Sed nec hìc explicas, quomodo ex eo appareat, Christum esse Deum illum unum. Nonné enim Arius concedebat, Christũ ante omnia secula creatum, adeoq; apud Deum in principio creationis fuisse, & tamen Deũ illum unum, esse strenuè negabat? nonné etiam hęc ipsa verba produnt caussæ tuę vitiositatem? cum nimis constet, apud Deum, scilicet illum unum esse, & Deum ipsum unum esse, invicem repugnare. Nam & de Angelo quovis jurè dici potest, eum propterea Deum non esse, quia apud Deum sit. Cujus rationis vim alii declinare volentes, non dubitarunt

tarunt dicere, Christum apud Deum ita esse, ut sunt ejus proprietates. Sed quàm sit falsa ista assertio, puto omnibus sensatis constare. Nemo enim, ea, quæ Dei, vel de essentia Dei sunt, apud Deum esse, dicere potest. quemadmodum nec ea, quæ in nobis sunt, apud nos esse dici possunt. Ais tu quidem, *id de puro puto homine dici non posse, jam constare.* Sed frustra. Hoc enim tunc demum verum esset, si constaret, verba *In principio*, de principio creationis omnium rerum intelligenda esse. Hoc verò tute confiteris, nondum a te probatum esse, sed in sequentibus probatum iri. Quomodo igitur ex eo, quod nondum est, constare aliquid potest? Ais iterum, *id ulterius hinc colligi, quòd hæc apud Patrem existentia, alibi manifestationi ceu prius posteriori opponatur.* Sed certè aqua tibi hæret. Nam 1 Ioh: 1.2. de Christo sermonem esse probari posse planè diffido. De re enim, hoc est, de sermonæ vitæ ibi Iohannem loqui, pronomen, quo res exprimitur, quater repetitum satis superq; docere videtur. Nec opus est, ob verborum quandam similitudinem res similes esse statuere. Sed esto verba Iohannis de Christo accipi posse, & existentiæ apud Deum manifestationem opponi, num hinc sequitur, existentiam apud patrem respicere tempus creationis omnium rerum, & manifestationem ejusdem tempus ejus nativitatis? Quid est inepta effutire, si hoc non est? nondum enim id probare conatus es, nedum ut probaveris, Christi apud Deum existentiam ad tempus creationis respicere, sed id probatum iri adhuc promittis. Christi verò manifestationem tunc factam esse, *quando unigenitus ille filius a patre in mundum mißus, natus est, & cum in mundum venit, ut destrueret opera diaboli*, pronunciatum est priori sui parte prorsus erroneum, posteriori vero, in qua aliquid veri inest, pro nobis contra te pugnat maximè. Falsum est unigenitum filium Dei tunc in mundum missum fuisse cum natus est. nam ss. litteræ Christi missionem (vel adventum in mundum, quod idem est) non tantùm a nativitate illius sejungunt, verùm etiam nativitatem, in mundum missioni & adventui, antepo-nunt, teste Christo: *Ego in hoc natus sum, & in hoc in mundum veni, ut veritati testimoniū perhibeam.* Et sanè isto loquendi modo temera- Ioh: 18. v. 37.
rio nimis liberè id sumitur, de quo nunc controversia agitatur, nempe filium Dei antea extitisse, quàm Iesus ex virgine nasceretur. Nam si filius Dei missus est in mundum, cum nasceretur vel conciperetur, ut vestra fert sententia, jam eum antea extitisse hoc ipso sumitur. Nam qui nondum est, is nec mitti a quoquam potest: sed is demum

mittitur, qui jam reipsa existit, ut de prophetis, Iohanne Baptista, & apostolis legimus, eos missos fuisse, quando scilicet muneribus suis a Deo præfecti fuerunt. Iam si, quod res est, dicere velimus, Christum in mundum venisse, ut opera diaboli destrueret, & hanc destructionem operum diaboli, pro re cum adventu vel missione Christi in mũdum conjuncta, accipiamus, ad oculum videre erit, Christi in mundum missionem tunc demum cepisse, quando Christus evangelium annunciare cepit. Tunc enim, nec citiùs antè, Christus opera diaboli, quæ potissimùm sunt etiam peccata, destruere cœpit. Ais tertium, apertè id probari ex illis Salvatoris verbis, quibus asserit, se apud patrem habuisse gloriam antequam hic mundus esset. Voculam *hic* a te additam esse, non accuso, sed tantùm indico. Hoc verò accuso, quòd cum probandum tibi esset, Christum apud Deum fuisse, tantùm ea verba adducas, in quibus Christum aliquid habuisse apud patrem affirmatur. Nemo enim non videt, posse aliquem habere aliquid qui ipse non sit, quatenus prædestinatum id illi est a Deo. nam & fideles dicuntur electi fuisse ante constitutionem mundi, *& gratia illis data esse dicitur ante tempora secularia, qui tamen tunc nondum erant; & eosdem habere dicitur jam ædificationem ex Deo, jam meliorem substantiam & manentem in cælis, quibus id tantùm destinatum est. Accuso id etiã alio nomine, quòd, cùm vix obscurè, immo ne obscurè quidem, id quod dicis, ex loco citato colligi possit, tu, spem verbis simulans, *apertè* illud ex illis *probari* dicere non dubitaveris. Sed & illud calvum est, *antequam mundus eßet, quod idem est, ac si dixißet, ab æterno.* Itanè nunc loco rationum, quas ex ss. litteris, nec sine logica antea promiseras, solum tuum, *quod idem est, ac si dixißet*, subponere non vereris? Certè isto modo dum peroras, istud tuum ingenium prorsus perdidisti. Si hac ratione ego tecum agerem in ss. litteris explicandis, quid de me tu & tui jurè dicere possint, tibimet considerandum relinquo.

*2 Tim. 1. 9.
a Ephes. 1.
b 2 Cor. 5.
c Heb: 10.

Sed jam quartum prodeat documentum. *Verbo huic*, ais, *aßeri mundi & omnium rerum effectionem.* Sed nec vocem *Mundi*, nec vocem *Omnia* hanc aspectabilem machinam, quæ cælum & terra aliàs appellatur, hic significare docuisti; nec verba *per ipsum* caussam efficientem principalem denotare ostendisti, nec deniq; *facta eße*, idem esse quod creata esse, probare cogitasti. quæ tamen omnia ad sententiam tuam obtinendam necessariò requiruntur. Addo nunc, ipsa Iohannis verba argumentum validum suppeditare, quòd non de cre-

ctione cæli & terræ ſint accipienda.Ita enim concepta ſunt,ut rerum, de quibus,agitur,effectio,partim Chriſto,partim aliis extra Chriſtum tribuatur. Dicitur enim Omnia per ipſum eſſe facta,& ſine illo ne unum eſſe factum, quod factum eſt. Quod de veteri creatione dici non poteſt. ea enim a Deo tota creata eſt, nec dici niſi ineptè poteſt, ſine Deo nihil creatum eſſe, ſi ſemel dictum ſit, eum omnia creaſſe. De nova verò rectiſſimè id & eleganter dicitur, quatenus Chriſtus ipſemet,cum in terris degit,omnia ad eam pertinentia fecit; Vel quatenus omnia per eum facta ſunt: & ea, quæ non per ipſum, ſed per alios, nempe Apoſtolos, facta ſunt, non tamen facta ſunt, immo ne unum quidem factum eſt, ſine Chriſto. Hujus enim operâ & ſpiritu perfectum eſt evangelium. Vnde conſtare poteſt,quàm ſit infirmũ & vanum præſidium, quod tu in voce univerſali ibidem ampliata, & ad omnia abſolutè quæcumq; facta ſunt, extenſa ponis. Hæc enim ipſa ampliatio, ſi quid aliud, evincit, ibi non de creatione veteri, ſed nova ſermonem eſſe; & ita apparet, nondum patere, quod tu mox conſtiturum dixeras, Chriſtum ſcilicet fuiſſe in principio omnium rerum: & proinde verum manet,Chriſtum,qui ſermo ob munus ſuum appellatur, licèt ab initio evangelii ſtatim non apparuerit, ſed Iohannes Baptiſta initium ejus fecerit,tamen propterea non eſſe poſtponendum Iohanni, ut pote qui tunc reipſa jam extiterit, & muneri ſuo obeundo deſtinatus fuerit; Iohannes verò Baptiſta tamquam prodromus ejus miſſus ſit, & pro tali tantùm agnoſcendus: eundem Chriſtum qui ſermo eſt, apud Deum fuiſſe in illo principio,vel quatenus ſoli Deo notus fuit, vel quatenus reipſa etiam apud Deum fuit: eundem Deum etiam fuiſſe ob muneris, quod tum gerebat amplitudinem & præſtantiam; per eundem deniq; omnia, quæ ad evangelii negotium pertinebant, facta eſſe,& ſi quid alii ad illud complendum attuliſſent (jam enim tunc,cum Iohãnes iſta ſcriberet, Apoſtoli quædam talia attulerant)id licèt non per illum factum ſit,tamen non ſine illo factum eſſe, quæ veram Chriſti præſtantiam & excellentiam continent.Sed audiamus reliqua.

Quintum igitur documentum habes, *quòd huic Verbo tribuatur hominum vivificatio & illuſtratio,& ita quidem,ut eam non niſi a virtute omnipotente (quæ verè ſolius Dei eſt) proficiſci poße cuivis appareat.* Sed quis non intelligit, poſſe id, quod ſolius Dei dicitur, cum alio communicari, & poſſe de eo etiam dici, quòd vita in eo ſit, & quòd ſit lux hominum, qui talis eſt a Deo effectus, & per quem homini-

minibus vita æterna offertur, & donanda eſt, adeoq; ipſi hac ratione illuſtrantur? Et a virtute tandem omnipotente id totum profectum eſſe concedi poteſt, quatenus iſta omnipotentia ad Evangelium refertur, quæ quidem Dei ſolius propria eſt, quatenus ab eo ſolo profecta eſt, interim tamen nihil prohibet, quominus in Chriſto etiam ſalutis noſtræ procuratore appareat. Nam & alia Dei ſolius ſunt propria, & tamen cum aliis communicata ſunt, & communicanda.

Pro documento etiam ſexto habes, *quòd Iudæi proprii hujus Verbi dicantur, quos veri illius Dei populum, immo peculium fuiſſe, ex multis veteris inſtrumenti locis diſcamus*. Sed & hîc nullum eſt robur. potuit enim idem populus judaicus, qui antea ſolius Dei fuerat, Chriſti etiam populus fieri, quatenus eum Deus illis præfecit, & ſalutem illorum in manu ejus poſitam eſſe voluit, tamquam ejus, qui non ut Moſes ſervus fidelis in domo Dei, ſed filius futurus erat ſuper domum ſuam, ut acutè loquitur auctor epiſtolæ ad Hebræos cap. 3.

Vltimum documentum, ad probandum, Chriſtum Deum illum unum a Iohanne appellari, affers, *quòd apertè caveatur, ne quis verbum hoc, ob id quod dictum erat,* καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, *Deum factum aut nuncupativum tantùm exiſtimet, dum mox ſubjicitur, Et vidimus gloriam illius. Certè non quâ caro erat, (ſic enim nō erat ipſi forma nec decor, nec quicquam habebat pulchritudinis, deſpectus erat & contemtiſſimus virorum) ſed quâ erat in eo ſublimius & excellentius, quod exprimitur ſatis clarè, quando ediſſeritur, qualis illa gloria fuerit, nimirum* ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός, *ex qua evidenter conſpici potuerit, eſſe hunc Sermonem, ſive hoc Verbum verum & unicum Dei filium, quippe verè & unicè ab ipſo genitum. Atq; hinc eſſe, quod non nudè dicat* δόξα μονογενοῦς πατρός, *ſed* δόξα μονογενοῦς παρὰ πατρός, *nec tantùm* δόξα μονογενοῦς παρὰ πατρός, *ſed* δόξα ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός. *veritatis ſiquidem non ſimilitudinis notam eſſe particulam* ὡς *omnes hujus loci interpretes unanimi conſenſu fateri.* Viden', Vogeli, iſtius tanti tui conatus vanitatem. primùm enim idem dicis, quod nos, Apoſtolos ſcilicet gloriam Chriſti vidiſſe, non quâ caro erat, ſed quâ aliquid ſublimius & excellentius in eo erat. nam & nos, ſublimius aliquid & excellentius in Chriſto agnoſcere, tu non potes ignorare. Interim tamen tenendum eſt, nullius alterius gloriam Apoſtolos vidiſſe, quàm ejus qui caro fuit, licèt non quâ caro fuit. Deinde, nonné tui prorſus oblitus es, cum iſta & ſequẽtia diſſeris? probandum enim tibi erat, Chriſtum eſſe illum unum

Deum: tu verò probas, Christum esse filium Dei? Si dicas, idem esse, Deum verum & Dei filium esse, ego dicam contrarium, nempe Christum quia Dei filius est, non esse Deum cujus est filius. nemo enim sui ipsius filius est.

Quæ deinceps post enumerata hæc documenta, de gemino, quo Verbum istud a vero Deo distingui videatur, modo addis, ea dici a te non debuisse quivis non imprudens intelligit. per ea enim totum id destruitur, quod hactenus extruere conatus es. nam si Christus ita a Deo vero distinguitur, ut apud eum fuerit, quis non videt, eum, ejusdem numero cum Deo essentiæ esse non posse? Quis item non intelligit, siquidem priùs a Iohanne dictum sit, Sermonem fuisse apud Deum, qui cum articulo describitur, & postea additur, eundem Sermonem fuisse Deum, nullo addito articulo, alio modo Deum a Iohanne appellari illum Deum apud quem sermo fuit, & alio illum Deum qui sermo fuit. Is enim mos est divi Iohannis, quòd, quando de re aliqua, vel ipso Deo loqui incipit, sine articulo, ut appareat, eum de eadem re, vel eodem Deo sermonem suum prosequi, in sequentibus articulum apponat. Vt cum hîc v. 4. dicit, *In ipso vita erat*, nullus est voci vitæ articulus additus, cum verò addit, *& vita erat lux hominum*, ut appareret, eum de eadem vita, de qua loqui cœperat, agere, articulum voci vitæ addidit. Sic alibi etiam, cum dixisset de Christo, *sciens quòd a Deo exiverit*, nullo ad vocem Dei addito articulo, ut constaret, cum in sequentibus verbis, *& ad Deum abiret*, de eodem Deo loqui, articulum ad vocem Dei addidit. Cum verò hîc de Deo cum articulo loqui cœpisset, & deinde Deum nominat sine articulo, certum esse debet, eum vocem Deus diversimodè accipere. Et hæc quidem expendenda tibi & aliis relinquimus. Nam quæ de voce Dei, sine articulo de Deo vero quater usurpata, differis, ea nihil huc faciunt (quamquam & in isto quaternario numero vel allegatione versiculi error sit. nam v. 4. nulla Dei est mentio.) cum non id nunc quæratur, an vox Dei sine articulo posita Deum illum unum significet, sed an verisimile sit, eadem ratione vocem Dei tributam esse sermoni hoc in loco, quo Deo illi uni qui pater est.

cap. 13.

Sed jam loco hoc absoluto ad alterum transis, in quo Christus a Paulo ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, appellatur. Hîc verò primùm, cum aliquid adversus nos docendum tibi esset, alios exagitare conaris, qui diversum a nobis sensum his verbis tribuunt, & aliter etiam quàm nos ipsa verba Apostoli legunt. quod quo fi-

ne fa-

ne factum sit, tute nosti. equidem id otiosè factum esse jure dicere possum. Nam quæ contra Erasmum tacitè affers, ex nostrorum libris sunt deprompta, nec ab ullo fortassis alio observata, & ita nostra repetens tuam apud auditores commendasti caussam. quam quomodo ex hoc loco fulcire coneris, videamus.

Credimus, ais, *Christum esse Deum existentem super omnia, hoc est, altissimum illum & benedictum in secula, atq; sic unum illum Deum.* Sed ostendendum erat, esse super omnia, necessariò significare altissimum, non verò per, hoc est, id quod tu sentis, explicandum. hujusmodi enim explicationes exsibilari merentur. Potest enim super omnia is etiam esse, cui omnia sunt ab alio subjecta. Sic enim alibi

1. Cor. 15. 27. Paulus ea de re loquitur: *Omnia subjecit sub pedibus ejus. Cum autem dicit, quòd omnia subjecta sunt, manifestum est, quòd præter eum, qui ipsi subjecit omnia.* Ad altissimum autem constituendum, non tantùm requiritur, ut sit super omnia, verùm etiam ut sit talis a seipso, & naturâ, & a nemine quicquam subjectum habeat. Adde, quòd vox Græca πάντων, tam per Omnes, quàm per Omnia converti possit. Vnde magis constat, Christũ non esse altissimum. Super omnes enim, nempe homines, is etiam esse potest, qui non sit altissimus. Et mirum sanè esset, Christum etiamsi Deus appelletur, nuspiam tamen vel unum, vel altissimum Deum appellari, quod de patre disertè legitur, nisi hac ratione spiritus S. indicare voluisset, patrem esse Deum naturâ, Christum Dei beneficio, ob divinum suum munus, & potestatem divinam. Ex eo verò, quòd Christus benedictus etiam appellatur ut Deus pater, colligere Christum esse eundem Deum qui pater est, unum scilicet illum, an ejus sit, qui artes didicit liberales, tibi relinquo expendendum. Equidem, nisi doceas, de solo uno Deo dici, quòd sit benedictus, nihil te agere dico.

Iam tertium locum adducis, verba Angeli de Iohanne Baptista: *Et multos filiorum Israël convertet ad dominum Deum suum, & ipse præcedet ante eum in spiritu & virtute Eliæ.* Et primùm leviter sanè rejicis, quod de verbis angeli a nostris dictum est, nempe progredietur vel ambulabit ante illum, nempe Deum, ita accipi posse, quòd sit in conspectu Dei ambulaturus, quæ phrasis est hebraica, & significat vitam cum vera pietate traducere. Hoc enim admisso, argumentum tuum debilitari saltem necesse est, quod ita verba illa accipit, quasi de præcedendi modo temporis respectu accipienda sint. Nec quicquã refert, quòd tu istum modum improprium appellare velle videris.

Sæpis-

Sæpissimè enim sensum verborum improprium proprio præstare,& ad rem accomodatiorem esse, nemo theologorum nescit. Deinde admisso isto verborum sensu, nihil tamen proficis, nisi doceas,non, quòd Iohannes ante Deum Israëlis,& ante Christum præcesserit,sed quòd ante neminem alium præcedere debuerit, vel præcesserit, quàm ante Deum Israëlis; quod sanè numquam ostendes. Aliàs autem constat, tunc jurè dici potuisse, præcessisse ante Deum Israelis Iohannem Baptistam, quando ante Christum præcessit, non quòd Christus esset Deus Israëlis, sed quòd personam Dei Israëlis gereret. Quicquid enim legato exhibetur, id in eum,cujus legatus est,redundat. Atq; ex his verus sensus verborum tum Zachariæ, tum etiam Malachiæ peti potest.

Sed ecce ultimùm ais, non obscurè Christum innuisse, se Deum illum unum esse, *quando se fuisse antequam Abraham fieret, eßet, aut nasceretur, non nudè affirmavit, sed aßeveratione gemina confirmavit Ioh: 8. v. 58.* ubi te statim doli vel erroris accuso, qui ausis affirmare, Christum dixisse,se *fuisse* antequam Abraham fieret nec enim Christus dixit, Amen amen dico vobis, priusquam Abraham fieret (ut nunc illud admittam) ego fui, sed tantùm dixit, Ego sum. Quæ ipsa verba sensum, quem tu Christi verbis affingis, nulla ratione ferunt vel admittunt. Esset enim in Christi verbis talis solœcismus, qualis nullus habetur in universo sacro codice Novi fœderis. Quem quidem te observasse video: at quomodo ad illum responderes non invenisti, nisi verba Christi mutares, quod tibi non licere nosti Solent theologi, dum a nobis ita urgentur, dicere, Christum ita loquendo æternitatem suam expressisse, & ad id colorandum verba ista Dei, *Sum qui sum*, accommodare. Sed jam (ut ex multis paucissima dicam) pueris notum est, aliter Deum locutum esse, nempe, *Ero qui ero.* Ipsa etiam res loquitur, differre istas locutiones, *Ego sum*, & *Sum qui sum.* Hæc enim perfecta est, licèt figurata locutio, & significat Deum esse sui similem,in promissis scilicet, ut hac de re eleganter super hunc locum differit Brentius: illa verò prorsus elliptica est, & semper est adimplenda. Quomodo autem hîc adimplenda sit ex v.12. cap: disertè constat, ex 24 verò & 28 colligi potest.

Sed te audiamus disserentem: Iudæorum verba citas: *Tu nondum quinquaginta annos habes, & vidisti Abraham*, & responsum ad ea Christi addis, Ἀμὴν ἀμὴν, λέγω ὑμῖν, πρὶν Ἀβραάμ γενέσθαι, ἐγώ εἰμί. & hinc concludis *sensum eße horum verborum, verè vobis affirmo*

me eſſe ante, ut ita dicam, ſentiam, exiſtentiam, vel nativitatem Abrahamum. Satis ſanè frigidè, & ſine omni probatione. Iam enim oſtenſum eſt, Chriſtum ita loqui non potuiſſe, nec ſenſum talem admittendum eſſe, niſi dicatur, Chriſtum aliter locutum eſſe quàm locutus eſt. Addo nunc, valdè imperitè ex eo, quòd Chriſtus reſpondiſſe legitur, colligi, eum directè ad id, quod ſibi objiciebatur, reſpondiſſe. Dantur enim multæ reſponſiones obliquæ, quando ſcilicet interrogationes aut objectiones, vel parum ſunt appoſitæ, vel quod majus eſt, captioſæ, adeoq; calumnioſæ. Exempla habemus in hoc ipſo evangelio Iohannis cap. 12. v. 23. ubi etiam Chriſtum reſpondiſſe legimus, ſed certè nimis indirectè. cum enim eſſent, qui ipſum videre volebant Græci, & hoc curioſè ab Apoſtolis Chriſto nunciaretur, Chriſtus ita reſpondit: *Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, niſi granum frumẽti lapſum in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet, ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert.* & tamen iſta reſponſio plena ſapientiâ, & verè digna Chriſto fuit. Sic etiam verſu 34, 35, 36. aliquid habetur huic noſtro admodum ſimile. Cum enim turba Chriſto objiceret: *nos audivimus ex lege, quòd Chriſtus maneat in æternum, & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? Quis eſt iſte filius hominis*, ita Chriſtum reſpondiſſe legimus: *Adhuc modicum tempus lux vobiſcum eſt. Ambulate dum lucem habetis, ne tenebræ vos comprehendant, qui ambulat in tenebris, neſcit quo vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis fiatis.* Chriſtum verò tali reſponſione hîc uti potuiſſe, adeoq; uſum fuiſſe, objectio Iudæorum, ſi bene conſideretur, docere nos poteſt. Mera enim erat cavillatio, immo calumnia. nam Chriſtus nec dixerat, ſe Abrahamũ vidiſſe, nec id, unde id colligi poſſet. Tantùm enim dixerat Chriſtus, Abrahamum exultaſſe, ut videret diem ſuum, & vidiſſe & gaviſum eſſe, vel (nam & hic ſenſus admitti poteſt, ut alibi docuimus) Abrahamum exultaturum fuiſſe, ut videret diem ſuum, & ſi vidiſſet, gaviſurum fuiſſe. Si prior ſenſus admittatur, qui, licèt eum pleriq; ſequantur, non eſt tamen ita ad rem accõmodatus atq; alter, non dixit Chriſtus, ſe vidiſſe Abrahamum; ſed Abrahamum vidiſſe tantùm ait, non ſe, ſed diem ſuum. Poterat autem Abrahamus videre aliquid, quod re ipſa non erat tunc, cum viveret. prophetarum enim (qualis etiam erat Abraham) erat futura videre ut præſentia. Si verò alter ſenſus admittatur, quem verba Chriſti, hebraiſmo in illis, non admodum inuſitato, admiſſo, admittunt, multò ma-

tò magis Iudæorum perversitas apparebit. Quid enim verius, quàm Abrahamum exultaturum fuisse, ut videret diem Christi, & si vidisset gavisurum fuisse, adeoq; non similem futurum fuisse Iudæorum, qui Christi diem videre nolebant, & tamen Abrahamum patrem suum esse subinde jactitabant. Quid verò perversius, quàm ei, qui sic loqueretur, ita respondere, quemadmodum Iudæos Christo respondisse legimus? Quæ omnia, & alia non pauca nuper a nostris, & a nobis etiam dicta sunt non uno in loco.

Iam, quid post nudas tuas assertiones adversus nos dicas, expendendum etiam est, ubi hoc præmonuero, non tam tibi curandum fuisse, quid nos de versione loci dicamus, quàm demonstrandum, versionem, quam tu cum vulgata sequeris, esse legitimam, & sine intolerabili solœcismo tolerari posse: sensum verò, quem verba illa continent, esse Christo dignum. Nam, ut hoc præterea dicam, nonné Christus, isto sensu admisso, talis a vobis fingitur, quales pleriq; sunt hodie, qui res tractant divinas, qui, cum de re aliqua controversa disputant, id quod est in controverso sumunt, & ita adversarium ludificant? Christo enim homini objectum erat, quòd non haberet quinquaginta annos, & tamen Abrahamum a se visum esse gloriaretur? Iam si Christus dixit, se, quâ Deus erat, fuisse antequam Abraham nasceretur, nonné terminos & statum quæstionis mutavit, & jurè se ridendum adversariis præbuit? Sed nunc id, in quo tibi cum Doctore Frantzio places, videamus. *Mirari te,* ais, *istam versionem & sensum, cui omnes interpretes favent, a nobis ob solam regulam grammaticam de natura aoristorum infinitorum, qui scilicet temporis definitionem accipiant a verbis quibus cum junguntur, rejici, & non constare,* ais, *utrùm ea perpetuò obtineat apud eos, qui quàm purissimè græcè sunt locuti; nec deesse etiam in ipso sacro codice exempla, quæ habeant contrarium.* Ego verò mirari jurè possum, te istud ausum fuisse dicere, quòd ob solam regulam grammaticam istam versionem & sensum rejiciamus, cum non nescire potueris, nos alias easq; gravissimas ejus rei caussas habere, quarum nonnullas in hoc ipso scripto exposui. Quamquam & illud, quod de re sola grammatica dicimus, non est de nihilo. Quæ verò tu contra eam affers, certè non multum valent. Prius enim inaniter dicitur, nisi ex auctoribus Græcis exempla diversum testantia afferantur: posterius verò admodum infirmum est. Nam in citato exemplo Iohannis 14. satis manifestum esse videtur, vocem εἴρηκα præteriti temporis pro præsenti usurpari. Hoc e-

nim vocula *nunc* illi præposita exigit quodammodo, & ita ratione i-stius enallages vocem γενέσθαι per fiat, efferendam esse. Immò hoc i-pso magis premi potestis. Nam si tunc etiam aoristus, vel vox γενέσθαι, vel verba πρὶν γενέσθαι, per fiat, vel priusquàm fiat, interpretari quan-doq; possumus & cogimur, quando cum præterito junguntur, quantò magis tunc id fieri posse & debere censendum est, quando cum præ-senti ponuntur? Quod verò ex Psal: 90 adducitur, id non est par huic de quo agimus. nam aoristi isti γεννηθῆναι καὶ πλασθῆναι diversi sunt ab eo, de quo nunc agimus & ei similibus, ideoq; isto modo quo conversi sunt, converti possunt. Præterea cum de Deo dicere vellet auctor psalmi, eum semper fuisse, esse, & futurum, eleganter uno tempore præsenti expresso, ad reliqua nempe præteritum & futu-rum ellipticè accommodari debere, docuit. Vt enim nemo accuratè loquendo dicere potest de Deo, *tu es in secula*, sic cum dicitur, *tu es antequam montes nascerentur*, vel *a seculis*, intelligendum est Deum fuisse, vel extitisse ante creationem montium, & a seculis. Qualis o-ratio prorsus non habetur in loco Iohannis, ut antea docuimus. Quę deinceps adversus Arii sectatores disseris, ea studiò prætermitto. Nam nihil ad nos pertinent, qui simpliciter negamus, Christum an-te extitisse, quàm ex virgine nasceretur. Quamquam & illa non ma-gni sunt momenti aut ponderis. nam etiamsi non legatur, Christum esse factum aut creatum, hinc tamen minimè sequitur, non esse fa-ctum aut creatum. Satis enim est id aliunde constare posse, quod cre-diderunt Ariani. Nam nec de Angelis legitur in sacris litteris, quòd creati sint, (quantumvis tu contrarium dicas) & tamen creatos esse credere cogimur, ob caussas valde urgentes. Quæ verò iteras, quòd Christus in principio fuerit, & per eum omnia creata fuerint, ea quàm falsò dicta sint, ex supra dictis satis constare puto. Peroras verba Io-hannis recitans, *Scimus quòd filius Dei venit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illum qui verus est, & simus in illo vero, in filio ejus Iesu. Hic est ille VERVS DEVS, & VITA æterna.* Sed & vitiosè illa re-citas, si contextum græcum consulueris; &, quod caput rei est, nullo verbo doces, verba: *Hic est verus ille Deus*, ad filium Dei referenda esse: ad patrem autem ea referri posse, luculenter non uno in loco a nostris demonstratum est: immo etiam, nec ad patrem nec ad filium, sed ad rem ipsam, de qua antea Iohannes egerat, relata, sensum egre-gium continere, ex commentario Socini, nuper amplissimo Senatui Argentinensi per me dedicato, videre est. Et hæc pauca pro tua ora-

tione,

tione, Vogeli, refutanda sufficiant. Quam deinde gratiarum actionem adnectis primùm ad Deum directam, ea alio sensu a quovis etiam, qui nihil revocet, haberi posset: alteram verò ad Senatum Norimbergensem habitam, timor tibi exprimere potuit. nimis enim eorum erga te benevolentiam deprædicas, a quibus catenis ligatus & in carcerem squallidum conjectus fueras. Ego tibi, aut bonam, aut certè meliorem mentem a Deo ex animo precor.

REFUTATIO EORUM,

Quæ in oratione Ioachimi Peuschelii, de Sanctißima, ut ille loquitur, Domini nostri Iesu Christi satisfactione continentur.

QVANTA sit utilitas sententiæ de Christi persona, qua statuitur, Christum hominem illum, quem Deus ex virgine conceptum & natum, in mundum missum, & in mortem traditum resuscitavit, & ad dexteram suam collocavit; & præter vel ante eum, neminem alium esse unigenitum Dei filium & servatorem nostrum; quòd scilicet per eam vera summi Dei gloria asseratur, & nostræ in ea salutis firmitudo consistat: quanta item utilitas ejus de Christi munere sententiæ, quâ creditur, Deum absq; ulla satisfactione, ex mera sua gratia peccata nobis remittere, si in Christum credamus, quòd scilicet per eam ab omni vitiorum habitu retrahamur, & ad veram sanctimoniam, sine qua nemo Dominum videbit, perpetuò extimulemur, plurimis in locis a nostris disputatum est satis fusè. Nunc audiamus te, Peuscheli, quomodo Christi satisfactionem adstruas, hoc est, quomodo probes, Christum pro peccatis nostris præteritis, præsentibus, & futuris, justitiæ divinæ, quæ peccata non possit non punire omnia & singula, ita satisfecisse, ut id, quod nobis luendum erat, ipsemet luerit, adeoq; Deum iratum ob peccata propitium nobis effecerit. Hæc enim satisfactionis, quam vos sectamini, natura est.

Primùm igitur ais, *Christum esse nostrum salvatorem*, & ad id probandum satis otiosè quædam ss. litterarum loca affers. Quin potiùs ipsam rem agas, & quod probandum suscepisti, probes. Producis igitur arma militiæ tuæ, ut ais, eaq; præcipua. Primum locum habet testimo-

stimonium Esaiæ, in quo dicitur, *quòd iniquitates hominum ipse* (scilicet, Christus) *bajulaturus sit*. Quid hinc extruis? *Christum peccata nostra portasse non nuda ablatione, sed onerosa portatione, quòd Deus in eum fecerit incurrere iniquitates omnium nostrum.* Sed ineptè portationem, quæ fit per ablationem, extenuas, eam nudam appellando, nullus enim modus est, quo peccata veriùs portari dici possunt, quàm si ita portentur, ut etiam simul auferantur. Deinde contrarius est tibi Matthæus, qui tunc Christum portasse dolores nostros affirmat, quando morbos abstulit. Vnde constat, tunc etiã dolores spirituales a Christo portari verè, quando auferuntur. Nec quidquã valet, quod tu ex tuo & Chrysostomi sensu de verbis vel allegatione Matthæi affers. tantùm enim rerum nudarum incerta ea est assertio; Et unius Apostoli auctoritas plus valere debet, quàm omnium hominum. Sed esto, peccata portare esse onerosam eorundem portationem? num onerosa portatio infert ita onerosam, ut quis pœnas luat? nonné satis est ad efficiendum, ut quis dici possit peccata alicujus onerosè portare, si occasione peccatorum alicujus multa ei mala sint perpetienda, etiamsi pœnas peccatorum nullas luat? Esto deniq; onerosam portationem peccatorum esse, pœnas peccati luere, num idem sunt peccati pœnas luere, & pro peccatis satisfacere? nonné peccati pœnas is etiam luere dici potest, qui ob peccata alicujus, gravem quidem, sed nec parem, nec æquivalentem peccatis pœnam sustinet? Cum verò ais, *tam eum legi satisfecisse dici posse, qui obedientiam præstitit quidem, at pœnã tamen inobedientiæ a lege requisitam subit, quàm alius quispiam, qui fecit prius, hoc est, qui activã, quam vocant, obedientiã, quod lex jubet, peragit,* primùm obscurè rem explicas. Ita enim loqui videris, ac si Christus obedientiam legi non præstiterit, sed tantùm pœnam inobedientiæ a lege requisitam subierit, vel saltem ac si quis pœnam inobedientiæ a lege requisitam subire possit, qui obedientiam non præstitit, quod nimis absurdum est; deinde id, quod maximè probandum est, tacitè pro concesso sumis, Christum scilicet pœnam inobedientiæ a lege requisitam subiisse, quo nihil falsius dici potest. Pœna enim inobedientiæ a lege requisita est æterna maledictio. Christus verò eam tantùm maledictionem subiit, quæ morte quidem crucis, adeoq; maledicta, sed tantùm triduana continebatur. Quod nostrum argumentum validius est, quàm ut a vobis hactenus everti potuerit.

Progrederis deinde ad ea scripturæ loca, in quibus nos Christus

redemisse dicitur. At non nesciebas, vocem hanc impropriè accipi in ss. litteris plærumq;, & nudam tantùm liberationem significare. Supponis igitur vocem emendi, & acquirendi. Sed & ista non majoris sunt momenti. Nam eandem ob caussam, ob quam propriè accepta redemtio non conceditur a nobis, propria etiam emtio & acquisitio non conceditur, quæ est, quòd nemini quicquam pro nobis datum sit, quod ad propriè acceptam redemtionem, emtionem & acquisitionem pertinere nemo non videt, & tute non diffiteris. promittis enim te effecturum, ut cognoscamus, Deum ipsum esse, cui pro nobis pretium sit datum. rem magnam præstabis, Peuscheli, si id effeceris. Legimus, enim ipsum Deum redemtionis auctorem esse, immo nos redemisse. Quomodo igitur ei pretium persolvi potuit? Sed audiamus te. *Deus, ais, est is idem, cui se redemptor & hoc ipso pontifex noster obtulit, testante Apostolo Eph:* 5. 2, *& auctore epistolæ ad Hebr:* 9. 14. Sed hîc nihil recti dicitur. Nam non hoc ipso Christus pontifex noster est, quòd redemptor est. redemtor enim etiam est propter mortem: at pontifex reipsa & perfectè non nisi post exaltationem, propter curam, quam nostri in cælis gerit in administranda nostra salute. Deinde loci Ephes. 5. 2. & Hebr: 9. 14. ineptè conjunguntur. In hoc enim disertè dicitur, Christum se obtulisse Deo, & ut addit auctor, *inculpatum per spiritum æternum:* in illo verò tantùm dicitur, Christum seipsum tradidisse pro nobis, oblationem & hostiam Deo, in odorem suavitatis. Differunt autem offerre se Deo, & tradere seipsum pro aliis. Hac enim phrasi, tradere seipsum, cum de Christo sermo est, perpetuò mors illius exprimitur: adeoq; sine additione vocis Dei, cui se tradiderit, usurpatur: At offerre se, cum de Christo dicitur, perpetuò actionem significat, quę mortem consecuta est, adeoq; phrasis ista nunquam sine addita, vel saltem subintellecta voce Dei, intelligi potest. Addo, quòd phrasi tradendi seipsum, res semel facta & præterita indicetur: phrasi autem offerendi seipsum Deo, præsens etiam exprimitur. Vnde rectissimè dicitur, Christum & obtulisse, & offerre se Deo pro nobis: at Christum tradere se pro nobis, nemo sanæ mentis dixerit. Verba verò, quę sequuntur apud Apostolum, *oblationem & hostiam Deo in odorem suavitatis*, jam non quid Christus fecerit, sed quàm acceptum id, quod fecit, Deo fuerit, docere, satis fusè a nostris, loco prorsus simili ex epistola ad philip: adducto, comprobatum est. Ibi enim iisdem planè verbis rectè factum Philippensium etiam commendatur. Vnde constare puto, quàm ineptè ex his Phil. 4. v. 18.

locis colligatur, Christum Deo pretium pro nobis dedisse. Ista enim pretii solutio semel in cruce facta fuisse creditur: hæc verò oblatio hodie etiam fieri dicitur. Et tantum abest, ut, cum Christus se Deo obtulit, Deo pro nobis pretium dedisse dici possit, ut potiùs tunc pretium illi a Deo datum esse dici debeat. Tunc enim cum Christus sese Deo obtulit, immortalis effectus & ad dexterã Dei collocatus fuit. Quia verò, cum tradidisse se pro nobis Christus dicitur, nunquam Dei, cui se tradiderit pro nobis, fit mentio, pretium a Christo pro nobis Deo solutum esse ne cogitari quidem debet.

Iam quod ais, *Nullam realem inter hostiam Christi, & λύτρον intercedere differentiam*, rem dicis ab omni verisimilitudine alienam; dum verò eam sic probas, *quia idem quod fuit hostia Christi Deo oblata & ab eo acceptata, simul etiam fuit istud, quod in redemptione nostra intervenit precium*, agnosce, quæso, ipsemet, annon incertum per æquè incertum probare coneris, vel potiùs, an non sit quædam in istis verbis nugatio? λύτρον enim Christi in morte potissimùm consistit, quæ in hac terra facta est: At Christi hostia, (nempe illa expiatoria) non nisi in cælis (quorum typus erant Sancta legalia) fieri potuit, adeoq; facta est, quemadmodum etiam Christus priùs pontifex noster reipsa nec fuit, nec appellatus est, quàm in cælis consedit ad dexteram Dei. Vnde constat, quàm ineptè redemtionem, quæ facta est per Christi sanguinem, cum eo, quòd Christus propitiatio est pro peccatis nostris & Deo se obtulit, conferas. Quamquam ista etiam comparatione admissa, nihil ex eo, quod te juvare possit, colligi potest. nam nulla oblatio satisfactionem infert; ea verò omnium minimè quæ verissima est, ut pote quæ in cælo demum facta est. In cælo enim nullus satisfactioni locus est. Ac ita verum manet, siquidem probari nequit, alicui pro nobis aliquid solutum esse, nullam dari propriè acceptam redemtionem, adeoq; nec satisfactionem.

Sed nunc pergis ad verba Iohannis: *Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omni peccato.* Quæ sanè mirum est a te, ad probandam satisfactionem pro peccatis, afferri potuisse. Vt enim me breviter expediam, Iohannes in loco citato per peccatum, non peccata ipsa, ut alibi, sed pœnam peccatorum intelligit. Ait enim eos, qui ita in luce ambulant, ut Deus in luce est, sanguinem Christi emundare ab omni peccato. Eos verò, qui in luce ita ambulant, ut Deus est in luce, jam ab ipsis peccatis liberos esse res ipsa loquitur, cum ista verbis tantùm differant, re ipsa verò idem sint. Vnde patet, parum rectè hunc locum

cum

cum altero Heb: 9. v. 14, quo dicitur, sanguinem Christi conscientias nostras purgare ab operibus mortuis, conjungi. Præterea, quæ nam hæc est consequentia: Sanguis Christi nos emundat ab omni peccato. Ergo, sanguine Christi pro peccatis nostris Deo satisfactum est. Nonné ista scopæ sunt dissolutæ? Quæ hîc de loco Levit: 17. infers, ea postmodum, ubi de illo ex professo agis, examinabimus.

Nunc ex eo etiam, quòd Christus pro nobis, seu propter nos traditus, passus, & mortuus sit, docere satisfactionem anniteris. Sed primùm te a proposito detinere id debebat, quòd eędem scripturæ, quæ Christum pro nobis traditum, passum, & mortuum esse asserunt, propter nos eundem mortuum esse dicunt. Nam si loco nostri Christus mortuus fuisset, & id per ea verba, quòd pro nobis mortuus est, scriptura indicare vellet, numquam id diceret scriptura de eadem morte, quod istam sententiam priorem in dubium vocare posset. Verborum enim, propter nos, longè alius sensus esse potest, quàm, loco nostri. Quod idem etiam ex eo colligi poterat, quòd promiscuè scriptura, Christum & propter peccata, & pro peccatis mortuum vel traditum esse affirmat, non affirmatura, si, pro peccatis, significaret loco peccatorum, quod per se ridiculum est. Sed nunc attendamus, quomodo probes, pro nobis, idem valere, quod loco nostri. *Ex tabernaculo*, ais, *posteriori respiciamus ad prius, hoc est, intueamur sacrificia veteris fœderis, & dispiciamus, num de illis dici possit, quòd vice seu loco hominum, quorum peccata in se accipiebant, & pro quibus offerebantur, fuerint mactata.* Inspiciamus sanè, siquidem ita tibi videtur ex umbra rem ipsam eruere. Affers iterum verba Levitici 17. quæ sic habent: *Anima carnis in sanguine est, & ego dedi eum vobis super altare ad expiandum animas vestras. Ipse sanguis est pro anima expiatio, vel ipse sanguis expiat animam.* Hinc tria iterum otiosè ponis. Quid enim ad rem facit, 1. quòd vita pecoris sit in sanguine, & 2 quòd Deus constituerit, ut pecus occidatur, in hunc finem, ut expientur animæ illorum, cum probandum est, pro hominibus aliquid factum esse, significare, vice vel loco illorum factum id esse; etiamsi tandem scriptum extaret, pro hominibus id factum esse. Sed præterea, quæ hæc est probandi ratio, ex loco, ubi, vi hebraici textus, non habetur quicquam de re pro aliquo facta, probare velle, quid verba pro aliquo significent? Sic enim tantùm verba habent, *& ego dedi eũ ad expiandum animas vestras. Sanguis enim animam expiabit.* Quid etiam ineptiùs dici potest, quàm cum legitur, Sanguinem expiare animam,

dicere, hoc idem valere, ac si scriptum esset, sanguinem pro anima expiare, & rursus pro anima idem esse, quod loco animæ? Videat igitur, cui oculi mentis non sunt eruti, quibus illa de satisfactione Christi fundamentis nitatur opinatio. ego nunc aliud prosequor.

Ad multa, quæ a nostris sparsim dicuntur, elevanda, aphorismos annectis, qui quanti sint momenti, operæ precium est expendere. Dicimus primùm, necesse esse, ut omnes articuli fidei in ss. litteris expressè extent. Tu id necesse esse negas, triplici motus caussâ: 1. quòd hoc nullibi in ss. litteris dicatur. & 2. quòd sufficiens ratio rei illius a nemine proferatur. 3. & a nobis ipsis in doctrina de fide, de modo salutis per Christum partæ, & aliis religionis punctis similibus, contrarium non leviter stabiliatur. Prima hîc nominari non debuit. nec enim necesse est omnia in ss. litteris extare, quæ vera sunt: sed satis est ea sic se habere aliunde constare. Hac ratione Pontificii rectè vos premerent, qui dicitis, Missam non esse sacrificium pro peccatis vivorum & mortuorum, quum id nuspiam in ss. litteris dicatur. Altera injuriâ nobis objicitur. Probamus enim id, quod affirmamus, dum dicimus, ea quæ ad salutem præcisè sunt necessaria, ita comparata esse debere, ut omnes, etiam simplices, ea capere possint. cum nemo sine scientia eorum, quæ ad salutem præcisè sunt necessaria, servari possit. Quam rationem tu quidem vellicas, sed frustra. immo te ipsum jugulas, dum ais, *id verum esse de illis, quæ difficiliores sunt, & longiori disquisitione, adeoq; acumine opus habent.* Tales enim sunt pleræq;, quas vos ad salutem tamen necessarias esse creditis. ut, in una numero essentia plures esse personas; vel, tres esse quorum unusquisq; sit Deus, nec tamen tres esse Deos, sed unum esse Deum: Christum ab omni æternitate ex essentia Dei patris generatum esse, generari, & generandum esse in æternum. In Christo duas esse naturas, quarum altera sit persona, altera nescio quid, nam nec persona est, nec accidens. & tantùm abest, ut, quantumvis longa disquisitione accedente, intelligi ea possint, ut tandem dicere necesse habeatis, ea credenda esse, etiamsi intelligere non possimus: & vulgus hominum, licèt jam a non paucis seculis doceatur ista, tamen sponte sua fatetur, se ea non capere. Quod idem etiam evenit in hoc satisfactionis articulo. non enim sine longa disquisitione assequi aliquis id potest, quòd Christus Deo pro universis universi mundi peccatis satisfecerit, cum nimis multa obstent, quæ istam opinationem non admittant. Vnde constat, necesse esse, ut ea, quæ ad salutem præcisè sunt necessaria, ita sint

compa-

comparata, ut quivis ea, sine ulla disquisitione, dum modò mentis sit compos, capere possit. Quæ verò ejus sunt generis, ut ab homine sacrum codicem assidua manu volvente, quæq; in illo scripta reperiuntur, in timore Domini sedulò perpendente, nec non & opem divinam anxiè petente, intelligi tandem possint ut tute scribis, ea ad salutem non præcisè necessaria, sed utilia tantùm, & potiùs ad religionem quàm ad salutem pertinere censenda sunt. adeò, ut jurè dici possit, non eo fine potissimùm ss. litteras legendas, ut quæ ad salutem necessaria sint discamus. Hæc enim semel audivisse satis est. Sed ideo tantùm leguntur, ut in iis paucis, quæ ad salutem necessaria esse scimus & credimus, confirmemur; ea verò, quæ ad salutem utilia sunt, quorum infinitus propè est numerus, quotidie magis magisq;, quisq; pro captu suo addiscat. Iam tertium quod affers, planè falsum est. Quantùvis enim nos ab aliis in doctrina de fide, de modo salutis per Christum partæ, & aliis religionis punctis similibus diversum sentiamus, & hactenus ea vera esse, non sine successu (Deo est laus) comprobemus: nihil tamen eorum ad salutem præcisè necessarium esse statuimus. & hæc caussa est, cur omnes, qui hac in re a nobis dissentiunt, si nihil aliud obstet, quod salutem concernat, pro fratribus agnoscamus, non agnituri, si id, quod tu de nobis affirmas, persuasum haberemus.

Secundus aphorismus accuratâ etiam eget censurâ. Vt enim verum est, quod dicis, *a via regia in scripturæ interpretatione temere non esse declinandum*, ita valde dubium est, *an via regia sit sensus scripturæ litteralis & proprius*, ut tu affirmas. Qui enim nescit, dimidium ferè ss. litterarum esse allegoricum & figuratum, is theologi nomen tueri nullo modo potest. Cum Christus sermones tales affectasse quodammodo videatur, & disertè alicubi dicatur, eum Dei consilio os suum in parabolis aperuisse, & abscondita ab origine mundi enarrasse Vnde etiam virorum in Ecclesia insignium omnibus ferè ætatibus libri extant de tropis ss. litterarum, quibus vix aliquid utilius cogitari potest. Quod verò addis, *non esse recedendum etiam a communiori sensu*, ridiculum sanè censeri potest. Vnde enim constat, quid sit communior ille sensus. Nam si quod tu cum tuis sentis, communiorem sensum appelles, nonné te ridere possunt omnes qui tibi adversantur? & jurè quidem. nam & vos jurè rideretis alios quosvis, si communiorem sensum eum appellarent, quem ipsimet sequuntur. Porrò ipsemet hunc aphorismum destruis, & nos egregiè excusas,

dum addis ea verba: *nisi evidentes suppetant rationes.* Hoc enim nemo se non facere credit, & nos id semper accuratissimè observare jurè videmur gloriari posse, nec contrarium umquam a vestris probabitur. Non necesse est autem rationes semper esse evidentes, sed satis est esse veras, quamquam studendum est, ut, quantum ejus fieri potest, quàm evidentissimæ afferantur. Quæ verò sequuntur verba: *eaq; non ex ratione, quæ mensura fidei numquam esse potest aut debet, sed ex eadem scriptura petitæ*, quàm ineptè sint dicta, expendat cordatus lector. Vt ut enim optimas esse rationes, quæ ex scriptura petuntur, confiteamur, alias tamen quæ ex ipsa ratione petuntur, repudiandas minimè esse jurè contendimus Ratio enim recta Dei donum est, & aliqua in re religionem ei contrariam esse doceri potest minimè; immo sacra scriptura ipsa est ratio. Vndecunq; igitur ratio sumatur, modò sit evidens vel saltem vera, pro legitima, & dummodo ss. litteris non contradicat, sufficiens censenda est. Christus resurrectionem demonstraturus ex verbis Dei, *Ego sum Deus Abrahami, Isaaci, & Iacobi*, quanám, quæso, ratione usus est? Vtrum ex ipsis ss. litteris petita? certè minimè. nuspiam enim legitur in scripturis, Deum non esse Deum mortuorum sed viventium, & tamen ratio Christi, ex ipsa ratione desumpta, firmissima est. Paulus probaturus in illis verbis: *Subjecit ei omnia sub pedibus ejus*, Deum non includi, *dicit manifestum esse, quòd excepto eo, qui illi omnia subjecit*, ratione satis firma, non tamen ex ipsis ss. litteris, sed ex ipsa ratione, idq; non satis clarè deprompta. Et non aliter rem se habere quivis confitebitur, qui ss. litteras diligenter legere voluerit. Importunè autem illud obtruditur, *rationem fidei mensuram esse nec posse, nec debere.* Quasi verò id mensura fidei dici debeat, quod cum fide tantùm convenit, & fidei non dominatur, sed perpetuò ancillatur. Mensura fidei est revelatio divina in verbo ipsius, præsertim verò in Evangelio proposita, quæ omnem quidem rationem superat, at eidem nullatenus adversatur, sed perpetuò cum illa conspirat. Et hinc apparet, quàm otiosè sunt illata ista: *secus si fiat, fidei Christianæ rectitudinem mutilatum iri: & perpetuis nos dubitationum ventis circumferendos.* Iam enim ostensum est, Christianam religionem, si non potiori, saltem bona ex parte, in sensu allegorico & figurato fundatam esse, & rationes quibus tum Christus tum Apostoli usi sunt, aliunde etiam interdum saltem quàm ex ss. litteris petitas. Et certè præstat, prudenter in omnia ss. litterarum dicta inquirere, & an figuram aliquam, sive ea sit allegoria, sive

tia, sive metaphora, sive metonymia, contineant, dispicere, & ita tandem verum earum sensum eruere, quàm in litterali & proprio, &, quod ait Peuschelius, communiori acquiescere; & ita in varios, eosq; absurdos errores, seipsum præcipitem agere.

Tertius etiam aphorismus, *Subordinata se mutuò non tollere, sed sæpiùs ponere, ideoq; ab unius inclusione ad alterius exclusionem bonam non dari consecutionem*, verus quidem est, sed non ostensum, subordinata illa esse: Christus pro nobis, (quæ verba injuriâ omisit Peuschelius) passus est, ut relinqueret nobis exemplum constantiæ, patientiæ: Ergo non ut pro peccatis nostris satisfaceret. Nam, si Christus pro nobis, hoc est, vice nostri pro peccatis nostris omnibus, tam præteritis quàm futuris, satisfecit, nonné ipsa res loquitur, frustra a nobis requiri, vi passionis & mortis ejus, ut peccatis mortui justitiæ vivamus? Contraria enim prorsus sunt, pro peccatis alicujus omnibus morte Christi satisfactum esse: &, mortem Christi in eum finem factam esse, ut nosmet ipsi peccatis moriamur. Iurè igitur isti rationi multum tribuimus, & vos, quomodo nos refutetis, numquam estis inventuri.

Quartus aphorismus, *quædam esse in typo, quæ non sunt in antitypo, & vicissim, quædam eße in antitypo quæ non sunt in typo, & satis eße, si conveniant typus & antitypus in re, utut in modo rei discrepent*, quantumvis sobrio sensu concedi possit, nihil tamen caussam Peuschelii, & aliorum in justificationis negotio juvat. Dummodo enim firmum stet, in re typum cum antitypo convenire debere, jam id quod volumus, obtinuimus, & omnes adversarii caussâ ceciderunt. Miror autem Peuschelium in re tanti momenti, tam brevem & obscurum fuisse. Nam si, quid velit, latiùs exposuisset, & exemplis illustrasset, statim ad oculum apparuisset, quàm otiosè iste aphorismus appositus sit.

Non minus etiam otiosus est quintus aphorismus: immo calumniæ aliquid in se continet. nec enim nos loca scripturæ, quæ gratiam & misericordiam Dei in Christo nobis exhibitam commendant, opponimus aliis, quæ nos per Christum, vel, per ejus sanguinem ut λύτρον redemtos esse insinuant, quod nobis affingit Peuschelius: sed loca de gratia & misericordia Dei in Christo nobis exhibita, opponimus sententiæ Peuschelii, & aliorum de redemptione per sanguinem Christi facta, quæ est, quòd per sanguinem Christi pro peccatis nostris, satisfactum sit. Redemtio per sanguinem Christi, ut per λύτρον

optimè cum gratia & misericordia Dei convenit. Nam redemtio per sanguinem Christi ut per λύτρον, gratiæ illius auctio est & confirmatio: At gratiā Dei, eamq;, ut Paulus loquitur gratuitā, cum redemtione tali, quæ satisfactionem eamq; perfectam includat, consistere nullo modo posse, ipsa res loquitur, & ipsimet adversarii sagaciores non diffitentur, dum præter gratiam vel clementiam liberalem, aliam clementiam, hoc est, inclementiam excogitârunt. Qua de re nuper non pauca scripsimus in Refutatione libelli Smiglecii Iesuitæ de satisfactione Christi.

Sextus aphorismus quo affirmatur. *ipsissimam esse veritatem, a conditionibus rerum humanarum & carnalium, ad rerum divinarum & spiritualium negationem, non semper progressum dari legitimum*, quem sensum habeat, equidem non percipio, & an satis rectè propositus sit, dubito. Quid enim ad hujus aphorismi explicationem facere potest id, quod de Christi generatione, verè & propriè sic dicta, quæ tamen citra viri operam peracta sit, adducitur? Illud verò alterum, *quòd nos, dum pietatis studium* (vel potiùs ipsam pietatem) *ab hominibus, qui salutem æternam expetunt, exigi contendimus, hac ratione satisfactionem qualem qualem a nobis postulari, dicamus*, nescio quid continere videtur contrarium ejus, quod hactenus asseruisse visus est Peuschelius, qui scilicet omne illud, quod nos ad consequendum aliquid facere tenemur, satisfactionem appellare non dubitat. Quæ pontificiorum hactenus sententia habita est, & ab omnibus Evangelicis repudiata, vel certè jurè repudianda. Nec enim ut pro peccatis præteritis Deus placetur, vel ei satisfiat, sed ut Deo & Christo, cum quo victuri sumus, similes, & ad vitam illam futuram, quam Deus nobis præparavit apti reddamur, pietas a nobis pro singulari Dei sapientia, quam in omnibus suis actionibus, in primis verò in distributione præmiorum exprimit, exigitur. Quamquam & illud valde puerile est, qualem qualem satisdationem comparari cum ea, de qua nunc in negotio justificationis nostræ contentio est, hoc est, cum absolutissima & perfectissima.

In septimo aphorismo rectè dicitur, *Non damnare rem ipsam abusum rei, nec id quod est ex eventu confundendum eße cum eo, quod est per se:* Sed malè illud tum ad propositum Peuschelii, tum ad nostram sententiam accōmodatur. Doctrina enim Lutheranorum de Christi satisfactione talis est, quæ per se efficere potest, ut homines vel de vera pietate nihil cogitent, vel saltem non ita cogitent ut par est,

nempe

nempe, sine ea neminem servari posse, quod disertissimè affirmat scriptura. Hinc etiam omnes Lutherani, unà cum aliis Evangelicis constanter negant, opera bona ad salutem esse necessaria: immo inventi sunt, qui dicere non verentur, eadem ad salutem esse noxia. qua de re insultant etiam vehementer illis pontificii, & ex parte saltem non immeritò. Videat, qui velit, quid nuper Frantzius in thesibus de bonis operibus scripserit, & experietur, doctrinam Lutheranorum, quantumvis id illi negent, ita esse comparatam, ut nemo, qui vim illius attendat, umquam piè sit victurus; & si tamen aliqui, quod nos non negamus, piè vivant, id aliis de caussis fieri dicendum est. Fit scilicet sæpe, ut Deus non permittat doctrinas istas erroneas vim suam, in hominibus probæ mentis, exerere, sed efficit, ut homines magis verbum Dei, quod bona opera perpetuò requirit, quàm istas parum religiosas de bonis operibus glossas, attendant. Non nescimus Lutheranos statuere, neminem Christi satisfactionis, quam asserunt, participem futurum, nisi in Christum credat, & per hanc fidem satisfactionem istam Christi sibi applicet: sed hæc fieri non posse, nisi quis novum hominem induat, carnem cum concupiscentiis crucifigat, & secundùm spiritum ambulet, non facilè, ut porrò ait Peuschelius, persuaserit ei, qui libros Lutheranorum ea de re umquam legit. Vel, si tamen id verum esse censendum sit, talem istarum phrasium explicationem audiet, quæ non tantùm multas infirmitates, verùm etiam peccata, adeoq; peccatum habitus in renatis restare, usq; ad ipsum vitæ finem, permittet. Nihil nunc dico de eo, quòd parum rectè phrases istæ, veterem hominem exuere, & novum induere, & Carnem cum concupiscentiis crucifigere, jungantur cum illa, secundùm spiritum ambulare. Nam secundùm spiritum ambulare is verè dicitur, qui jam superatis omnibus vitiorum habitibus, semetipsum custodit, & bonam conscientiam conservare studet, vel, ut Christus ait, vestes suas custodit: at qui veterem hominem in præsenti exuit, & novum induit, & qui carnem cum concupiscentiis crucifigit, is nondum ad virtutis habitum pervénit, sed in eo acquirendo tantùm versatur. quod ad veram pietatem, & ad salutem consequendam parum omnino esse vel hinc constat, quòd Paulus disertè scribit, *Qui sunt Christi, carnem cum concupiscentiis & cupiditatibus* non crucifigunt, sed *crucifixerunt*. Rectè quidem fit, & saluti proximum est, si quis novum hominē induere satagat, & carnem cum concupiscentiis crucifigat; & hinc ad ea jugiter nos commonefaciunt ss. litteræ: sed ni-

Apoc. 16. v. 15.

sed nisi, antequam ex hac vita discedamus, veterem hominem ita exuerimus & novum induerimus, & carnem cum concupiscentiis ita crucifixerimus, ut a peccati habitu prorsus simus liberi, actum est de salute nostra, si vis novi fœderis sola attendatur. Quod verò ad nostram sententiam attinet, ea huc referri minimè debuit. Ea enim per se, veram pietatem necessariam ad salutem, esse statuit, & nihil tale continet, quod homines in pietate segnes efficere queat. Licèt enim statuamus nos misericordiâ Dei justificari, tamen disertè docemus, istam justificationem ad effectum perductum non iri, nisi veram sanctimoniam, quæ fidei est anima, sectemur, & licèt non pro principali salutis caussa pietatem habeamus, habemus eam tamen pro tali, sine qua salus nullo modo contingere potest. Quod dicere Lutheranis religio est.

Octavus & ultimus aphorismus otiosus etiam prorsus est. Fatemur enim, non licere nobis opera divina ad nostri judicii normam exigere, multò minùs, quòd vel sine vel cum læsione justitiæ suæ facere potuerit, aut non potuerit, extra expressum Dei verbum decernere, & dum istud ita simpliciter pro aphorismo venditat Peuschelius, iterum nos calumniâ premere velle videtur, quasi scilicet nos simus, qui opera divina ad normam judicii nostri exigamus, vel quid Deus facere potuerit aut non potuerit in nobis servandis, extra expressum Dei verbum decernamus, quo vix aliquid dici potest iniquius. Ipsimet enim adversarii fatentur, dogma satisfactionis expressum in verbo Dei non extare: nos verò nec ex illo deduci id posse, quod adversarii contendunt, docemus firmissimè, refutatis omnibus, quæcumq; ad istam sententiam comprobandam afferri solent. Quamquam, etiamsi dogma illud ex scripturis deduci posset, tantùm constaret, verum id esse, sed tamen non constaret ad salutem esse etiam necessarium. cum, ut antea dictum est, omnia, quæ ad salutem sunt præcisè necessaria, expressa ut sint in verbo Dei, prorsus sit necesse. Acquiescimus igitur nos in Dei voluntate, quam in verbo suo manifestavit; vos verò illo non contenti, consequentias ex illo nectitis in Deum injurias simul & perniciosas, quas, non verò verbum Dei, nos perpetuò impugnamus, & expugnatas, tum ob gloriam Dei asserendam, tum ob salutis viam expeditiorem reddendam, cupimus. Et hæc caussa est, cur negemus insontem loco sontis, præsertim si is præsens sit, Deum plectere posse, aut solere; Vrgeamus autem, insontem in nostrum commodum in mortem traditum esse. Vt enim illud tan-

ſud tanquam cum juſtitia & rectitudine divina pugnans, ſe non facturum clariſſimè Deus in verbo ſuo pronunciavit: ita hoc, tanquam ſapientiæ & miſericordiæ divinæ admodum congruum eum feciſſe, diſertiſſimè idem Dei verbum teſtificatur.

Poſt aphoriſmos iſtos duo reſtant, breviter perſtringenda potiùs, quàm exagitanda prolixiùs. Alterum eſt, quòd gratias agis tum Magiſtratui, *quòd te mediis Magiſtratum chriſtianum & catholicum reformatum* (hæc tua ſunt verba) *decentibus, illoque dignis, in viam cæleſtem reduxerit*, tùm theologis, *quòd in converſione tui procurandà curas & vigilias exantlârint, & erga vos diſsentientes mites fuerint & manſueti.* Ergo magiſtratus Chriſtiani officium eſt, diſſentientes a ſe, idq; non ex animo, ſed tantùm diſcendi aliquid causſâ (ut tu de te profiteris) catenis ligare, per urbes ligatos oſtentare, in carcere ſqualido per menſes non paucos detinere, &, ſi ſententiam mutare nolint, in perpetuum ei addicere? Et theologi mites ſunt & manſueti, dum iſta permittunt, & quos verbo Dei ſolo expugnare debebant, adhibitis carceribus & metu tormentorum expugnant? Quid igitur, dum adverſus vos Papatus ita ſe gerit, reprehenditis iſta tamquam ab Antichriſti ſpiritu profecta? Nonnè videtis novam tyrannidem papalem inter eos, qui Evangelici audire gaudent, mutatis tantùm perſonis, jam obtinuiſſe? Et fruſtra ſanè autorem libelli, quem titulo CASEI OLLARIS inſcripſit, nec timoris Dei, nec pietatis, nec veritatis rationem habuiſſe, verboſè quereris, ſi ita, ut antea commemoravi, à magiſtratu & theologis tractati fuiſtis? Quod ſi factum eſſe negare etiam velis, deploranda certè eſt iſta ſervitus, quâ magiſtratus veſter & theologi tantùm vobis incuſſere terrorem. Alterum eſt, quòd lectionem librorum noſtrorum ſtudioſæ juventuti diſſuaſurus, argumento uſus ſis valde infirmo, & diſuaſionem tuam ipſemet refutâris. Nam, quòd quidam lacte nutriendi eſſent, non ſolido cibo, id tamquam factum non tamquam jus recenſet, & reprehendit auctor ille divinus: tu verò id tamquam rem ſacram aliis commendas, & præcipere quodammodo videris. Deinde verò, ſi tandem lectionem librorum noſtrorum liberam eſſe dicas, præſertim illis, qui prius ſs. litteras aſſidua manu verſârunt, jam fruſtra erit, quicquid ante diſuaſeris. Nam quicunq; ſſ. litteras aſſidua manu verſat, quantumvis neſcio quos catechiſmos, vel locos communes, & commentarios quàm familiariſſimos ſibi reddiderit, is ſtatim, cum noſtrorum libros vel ſemel in- Heb: 5. 12.

mel inspexerit, si animo sit a pietate non alieno, & non tam in γνώσει, quàm in πράξει theologiæ consistere, (quod tu persuadere etiam aliis conaris,) persuasum habeat, intelliget, quantum distent æra lupinis: immo quò quis perfectiùs istos catechismos & locos communes tenuerit, tantò citiùs, lectis nostrorum libris, ad eos amplectendos incitabitur. Nam, ut Paulus de lege alicubi arguté ait, se per legem legi mortuum esse, sic etiam per istas catecheses & locos communes, quàm rectissimè homines sensatos & probos, a catechesibus & locis illis communibus avocari posse, & avocatos esse, experientia rerum magistra nos docuit. Et hæc pauca tuæ orationi opponere hoc tempore ipsa veritas coëgit. Faxit Deus, ut ii qui errant, errores suos agnoscant & corrigant. errorem enim omnis peccati fomes est; veritas autem pietatis genitrix, & veritas nos a morte liberabit.

Gal: 2. 19.

LAUS DEO & CHRISTO.

Errata benevolus lector ita corriget.

Pag.	lin.	errata	correctiones.
7	18	*in margine non bene expreßum*	Psal: 8. v. 6.
8	14	theologum	theologorum
11	32	*in margine adde*	Ioh: 18. v. 37.
12	26	subponere	supponere
13	2	*post* agitur	*expunge comma*
19	33	de re sola	de regula sola
25	36	*in margine adde*	Philip. 4. v. 18.
24	5	pretium	præmium

BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0010314